DE

CEREBELLUM INTER
ET
SYSTEMA GENITALIUM
SYMPATHIA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHYSIOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI,
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR,
DIE XVII. M. MAJI A. MDCCCXXVI.
H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET
AUCTOR
JOAN. PETR. HUBERT. REIMBOLD
COLONIENSI-RHENANUS.

OPPONENTIBUS:
C. ALCKEN, MED. DR.
A. TH. DE *BARY,* MED. DR.
P. J. RICHTER, MED. DD.

BEROLINI,
LITERIS AUGUSTI PETSCHII.

Ex datis cognitisque inter sese comparatis novae demum exsurgent atque antea nondum cognitae veritates.

M. Stoll,

rat. med. Tom. III. Praef.

PATRI

OPTIMO ET DILECTISSIMO

AD CINERES USQUE SUMMA PIETATE COLENDO

CASPARO REIMBOLD

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO ANIMO

D. D. D.

FILIUS.

PROEMIUM.

Cum materies ad Dissertationem eligenda mihi esset, illam praecipue in Physiologia quaerendam esse, mihi patebat; non solum, quia haec medicinae pars plurimis in sectionibus ejus adhuc cognitione exactissima careat, sed etiam, et praecipue, quia Physiologiae studium sit, quo vel quisque medicinam ipsam aggrediens attrahatur. Per tres annos incumbens medicinae ipsemet video, me ad partem illius practicam novum aliquid adferre non posse ex experientia mea. Theoriam vero, quoad morborum therapiam, novam proponere nolui, nisi affirmatione ejus practica, cum incommoda, quae opiniones diversissimae de methodis curationis morborum, aegrotantibus ipsis attulerunt, mihi non ignota sint. In Physiologia ipsa praecipue veteres secutus sum, nec physiologicis experimentatoribus temporis nostrius me accommodare volui, magna *Hippocratis* verba: „*Experimentum periculosum,*" semper me-

moria tenens. Elidimur onere experientiae, et nisi mox *Hallerus* secundus omnia novo conjungebit vinculo, experientia diversissima thesaurus erit inutilis. — Via autem altera nobis patet, qua comparando facta diversa et phaenomena concludimus, et sic lucem in organorum functionibus singulorum nobis accendimus. Tali modo pagellis sequentibus haec comparavimus facta ab experientia tradita, e quibus consensum cerebellum inter et systema genitalium affirmari posse, credimus. Temporibus recentioribus praecipue Cel. *Gall* (in Craniologia sua) consensum cerebelli cum systemate genitalium adesse dixit, organon ipse generationis vis in occipite quaerens, et illius disquisitiones praecipue nos arriserunt, ut hanc Physiologiae partem eligamus. Nexus autem hic, veteribus jam notus, experientia virorum clarissimorum confirmatur, quod sequentia docebunt.

Restat, cum ipsi permulta in disquisitionibus his omissa, aut etiam non omnia satis digna habuisse, credamus, lectores praecari, ut opus juvenile leniter dijudicent atque primitiis nostris faveant.

I.

DE DIVERSIS CIRCA CEREBELLI FUNCTIONEM SENTENTIIS.

Ab antiquissimis hinc inde temporibus cerebri ac cerebelli dignitas ad diversis scriptoribus, diversissima habebatur.

Primo massam caseosam alii dixerunt, structura organica carentem, alii glandulam esse putaverunt; Cel. *Ruysch* (resp. ad epist. probl. XII.) cerebrum e vasis piae matris constare credit. — Sed, quoad functionem, a viris doctissimis opiniones diversissimas propositas invenimus. — *Aristoteles*, *Democritus*, *Epicurus*, *Galenus*, animam toto in corpore et singulis in partibus propriam habere sedem, putaverunt. *Empedocles* animam in sanguine, *Diogenes* in ventriculo cordis dextro, *Chrysippus* cum *Stoicis* in corde, *Helmontius* in pyloro (sub no-

mine *Argi*), *Strabo* inter supercilia, quaesiverunt. In cerebro autem, aut ejus quibusdam partibus singulis animae sedem esse, alii putaverunt viri clarissimi. *Jth* in cerebro toto (anthropologia. Bern, 1794. §. 46.), *Digtaeus* in cerebri septo lucido; *Lancisius* et *Bergerius* in corpore calloso, *Cartesius* in glandula pineali (Tractatus de passione animae, Part. I. art. 31.), et temporibus novissimis *Soemmering* in aqua ventriculorum cerebri, eam haerere putavit. (S. Th. Soemmering über das Organ der Seele. Mit Kupfern. Königsberg, 1796.)

Alii vero sunt, qui de animae sede loquelam esse non posse, putaverunt. Sic *Unger* (Physiologia pag. 20); *Jacob* (Grundriß der Erfahrungs-Seelenlehre. Halle, 1791. §. 44.); et *Friderici* dicens: „*mihi sententia illa de spirituum animalium generatione in ventriculis semper visa fuit delirio proxima.*"

Animam ipsam aut in nervorum fluido, aut in spiritibus diversissimis quaesiverunt Philosophi. (Vide *Conring* de med. hermet. pag. 194. et *Gerh. Joh. Vofs* de phil. lect. cap. 19.) Spiritus erant aut *animales*, aut *naturales*, aut *genitales* etc. (Vide *Wirdig* med. spirit.) *Flammulam jovis*, *Calidum innatum*, *Humidum radicale* vel *Archaeum*, alii dixerunt. *Dolaeus* divisiones spirituum singulorum fecit; spiritus cerebelli *Microcosmetor* ab eo et rex Phantasiae memoriaeque nominatus est; *Cosmetorges* rex irae; *Gaste-*

ranax et *Bithnimalca* sedes in ventriculo ac intestinis habebant, reges vero ingestorum dicti; *Rechamalcha* denique, qui sedem in utero habebat, rex generationis nominatus est. —

Cum cerebrum animae sedem esse putaverint medici, disputationes novae ortae. Fere omnes dissentiunt, et interdum cerebellum cum cerebro, quoad functionem, confunditur; interdum majoris momenti cerebro cerebellum ducitur, et vice versa; interdum vel functio cerebri illi cerebelli opponitur. *Boerhavius* (in praelectionibus academicis, Tom. III. pag. 390) ait: „Cerebrum videtur esse „sedes quod in homine animale est, cerebellum „vero vitales principes functiones perficere.” Idem Tom. IV. pag. 433. sqq.: „Cerebrum a cerebello „diversissimum. Diximus cerebrum in homine ma„ximum esse, in animalibus autem reliquis eo mi„nutius, quo quodque minus humanum est, quo „pauciores functiones animales perficit, quo sen„sibus minus acutis pollet, et motus minus expedite „exserit, quo proprius, uno verbo, ad naturam ve„getabilem accedit. In cranio balneae, quod Lug„duni Batavorum est, cavitas pro cerebro vix pu„gnam capit. Verum eadem ratione, qua ea ani„malia cerebrum minus habent, eadem cerebellum „proportione maximum est, cerebrum pene nul„lum.” Sedem memoriae in cerebello quaesiverunt

Graeci, Arabes, alii. *Bonnet* (Brugnatelli bibliotheca fisica d'Europa. T. 13. 14. 16.) sedem memoriae quaesivit in cerebello, cum pro majori aut minori memoriae evolutione, etiam gyri vel folia cerebelli illi aucti aut diminuti visi sint, quae sententia etiam *J. C. A. Mayer* esse videtur. (Beschreibung des menschlichen Körpers. Bd. VI. S. 378.) *Willisius* in cerebello facultatem ad musicam artem quaesivit; Intellectus facultatem *Malacarne*, quippe cum arborem vitae in homine perfectiorem ac in mammalibus avibusque, et triplo majorem fere foliorum numerum in cerebello sagacioris ingenii hominum, quam apud fatuae mentis individua, invenisse crediderit. Secretionem spirituum animalium *Portal* in illo quaerens, cerebellum quoque cerebri morbo laborantis functionem suscipere credidit. *Reil* denique cerebellum cum columna galvanica comparavit. Ex experimentis suis *Magendie* et *Flourens* cerebrum ad sensationem, cerebellum vero ad motionum facultatem pertinere dixerunt. Laesionibus cerebelli facultatem volandi aut eundi auferri, dixit *Flourens*; *Magendie* autem pro ratione compressionum in cerebellum, aves antecedentes aut retrocedentes fecit. Aliam vero explicationem, quam cerebellum motus sedem esse, ex his experimentis elucere credimus. —

Sententiâ alterâ functionem cerebelli determinare voluerunt Physiologi, lethalitatem aliosque affectus a vulneribus ejus expendentes. Paucis referam, quod Cel. *Hallerus* dixit (Tom. IV. pag. 345 sq.) „Continua mors, si ferrum 6—8 lineas penetrasset cerebellum. *Heuermann* (op. Tom. III. pag. 242. 130.): Ita venire non humiles sunt auctores, ad experimenta in variis animalibus facta; boves etiam et elephantos uno ictu occidunt, cultro ad sedem occipitis in cerebellum adacto. Ita porro homo, cum os occipitis cariosum esset, tacto eo loco, animo linquebatur. (*Bartholini* hist. 3. cent. III. Historia hominis legitur, cui ab occipitis ictu sensus et motus periit.) Vulnera circa occiput difficiliima sanatu esse, vetusta est observatio. In homine quoque vulnerato cerebello, mors subito; eaque observatio in legem transiit vulgo receptam, quae vulnera cerebelli ad maxime lethalia refert." Tunc ex aliis morbis etiam destructionem cerebelli. *Hall.* l. c. pag. 345. In homine, ex apoplexia mortuo, cerebellum dissiluerat, et in alio sanguis in occiput effusus cerebellum compresserat; in alio scirrhosa glandula sub cerebellum ad ortum medullae spinalis sita erat. In alio subito mortuo cerebellum lacerum fuit, et sanguis effusus in Cavitatem praeter naturam natam." Lethalitatem a cerebelli vulneribus majorem esse, quam ab

illis cerebri, ex sequentibus dixerunt: (*Hall.* l. c.) „Cerebri vulnera maxima adesse possunt absque malo et vitae periculo; clavus perforans avium caput mortem non infert. Neque cerebri dimidii aut totius jacturam animal necasse, etiam post horas viginti et quatuor, enarrant. Columba, cui cerebrum exemtum, illaeso cerebello, pedi insistebat et deglutiebat. Neque separata a cerebro oblongata medulla, animal periisse dicunt. Omnino adeo videri, peculiariter ad vitae organa causam motus a cerebello emitti.

Alii vero sunt, qui cerebelli vulnera minus lethalia dixerint, cerebri autem vulnera semper lethalia. —

Jam *Hippocratis* sententia est (Praedict. lib. II.): vulnera quae cerebrum attingunt, mortem afferunt. (Sed divisio accurata cerebellum inter et cerebrum ab eo observata non est.) In brutis animalibus *Zinnius* (Exp. No. 9.) aliquoties cerebellum perforavit et animal ad alterum diem perinde superfuit, uti a cerebri vulneribus solet. Ventriculo etiam quarto sanguine pleno canis ad alterum diem vitalis mansit. Post lentam cerebri destructionem, cerebello exemto, canis aliquamdiu supervixit. Tales etiam apud alios Cel. viros historias enarratas legimus. (*Kaw* impef. fact. n. 225. 226. *Petit* epist. II. pag. 19. *Des Hales* de hemiplaegia per elect.

sanand. pag. 4. *Sauvages* de Somno, pag. 14. *Vandelli* epist. II. pag. 242. (vixit canis cerebello vulnerato per 20 minutas.) *Lachi* epist. II. pag. 10. (vixit 80 — 250 min.) *Hauermann* op. Tom. III. pag. 131. (vixit per horam integram.) *Chiraci* Phil. trans. No. 226. (unico experimento in diem.) A vulnere cerebelli pulsus non mutatus. Neque in homine majus inest vulneribus cerebelli periculum. Primus *Gabrielus Fallopius* vulnus cerebelli sanavit, cum ejus visceris jactura viciae grano aequalis bis omnino facta esset. Similis curatio est Aethiopis, quem, non absque detrimento tamen aliquo cerebelli, *Jonnes Vesilingius* vicesimo die restituit. Aegrum, cui memorabilis cerebelli particula ense ablata erat, sanatum fuisse, a chirurgo argentorensi *Le Maire* audivit, *Zacharias* et *Plattner* in scripta sua retulerunt. Obiit denique, sed quadragesima tertia demum hora, homo, cui cerebellum sclopo percussum fuerat, sensibus bonis et libero spiritu. Frequentiora sunt exempla vitiorum cerebelli lentorum, quae multis diebus et integris demum annis gestata, absque ejus visceris integritate vitam superesse posse docent.

Scirrhum cerebelli in puero *Mallerus* vidit, etiamque *Zinnius;* cum diuturna cephalea *Harderus*, et cum hydrocephalo *Pet. Brisseaux* Parisiis vide-

runt. Cerebellum durum et grana glandulosa in ejus pia matre cerebellum correptum, gelatinosum, extenuatum, et a tumore duro destructum, vidit Cel. a *Peyronie*. In hydrocephalo, et cerebro et cerebello ab aquae vi compressis, sensus nullus, sed functiones naturales cum somno superstites. Denique non rara ulcera cerebelli sunt, etiam cum integritate mentis, morsque inde lenta duodecimo die, aut multo serius, successit; aut decimo quarto die, vel longo demum tempore. Nuper peritissimus sculpendorum sigillorum artifex ex ulcere cerebelli, post lentam sensuum jacturam, interiit. Itaque mentem non turbari a vitiis cerebelli, non satis cum his historiis consentit; nam stupidus ille erat, in quo Parisiis ulcus cerebelli viderunt, phreniticus alius; plures dolore capitis vehemente laborarunt, in debilitatem et fatuitatem artifex incidit, quem dixi, et convulsiones artuum constanter adsunt. In experimentis Cel. *Lorry* sopor compulso cerebello ingruebat, quod facile credimus, cum de cerebro perinde verum sit. Quare collectis omnibus videtur laesiones leviores cerebelli tolerari, graviores mortem inferre. *Halleri* (Phys. IV. l. c.) demum sententia est: „Cerebrum ad vitalia organa et sentientem vim et moventem mittere, ad mentis arbitrio subjecta cerebellum."

Sed satis de veterum sententiis in cerebelli functionem. Temporibus recentioribus Cel. *Gall* novam theoriam obtulit, non parvi mehercle momenti, de qua nunc loquamur. Cel. *Gall* (Influençe du cerveau sur la forme du crane, par F. J. Gall. Paris, 1823. 8. IV vol.) nempe dicit l. c. T. III. pag. 255: Cerebellum organon est, quod ad instinctum propagationis spectat. Rationibus sequentibus haec theoria nititur: Inter partes cerebrales neonatorum cerebelli evolutio minima. Proportio ejus ad cerebrum in neonatis singulis diversa, ut 1 : 8 — 1 : 20; In adultis vero ut 1 : 5 — 1 : 7, fibris satis distinctis. Evolutio cerebelli maxima est intra annos 18 — 26 aetatis, et consensus evolutionis cum illa systematis sexualis, patet ex exemplis a Cel. *Gall* l. c. enumeratis. Haec omnia etiam in animalibus occurrunt. Sententiae Cel. *Gall* inter alios etiam *J. B. Monfalcon* accedit (Dict. des sciences nat., Art. sympathie, Vol. 39. pag. 577.), si dicit: „Les organs genitaux sympathisent spécialement avec le cervelet et la region des oreilles." Veteres, qui naturae observatores acutissimi, theoria nulla freti, solummodo, quae ab illis visa sunt, enarrant, etiam saepius de sympathia hac generaliter loquuntur; licetque cerebellum inter et systema genitalium nexum non

nominarint, attamen e verbis illorum cognitio hujus rei elucet. Non semper plane de partibus loquuntur veteres, interdum solummodo de regionibus corporis, quod ab anatomiae tunc temporis cognitione adhuc in infantia vivente pendet.

II. OR-

II.

OBSERVATIONES QUOAD CEREBELLI AFFECTIONES CUM PHAENOMENIS SYMPATHIAE SYSTEMATIS GENITALIUM, ET VICE VERSA.

Hippocrates jam cerebelli cum systemate genitalium sympathiam cognovit, licet solummodo de occipitis regione et de auribus loquatur. Seminis ipsius secretionem a cerebello pendere credebat. Dicit nempe in libri de genitura capite secundo: „quibuscunque vero juxta aures (venae) sectae sunt, hi coëunt quidem, et emittunt semen, sed paucum, imbecillum, et infoecundum. Plurimum quidem seminis a capite secundum aures in spinalem medullam procedit; ipse vero transitus, cicatrice sectione inducta, solidus evadit." (Hipp. opera, edidit cum versione latina *Steph. Mack.* Viennae 1743. fol. pag. 212). *C. a Reies* etiam quaestionem proponit: an tali modo etiam Scythorum sterilitas a

sectione venarum juxta aures pendeat, (Campes. elys. pract. med. LVI. §. 20. pag. 703.) et *Andreas Laurentius* (Lib. VIII. anatomic. quaest. 4.) latronibus aures abscindere monet, *ne latrunculos gerant.* Impotentiam ex occipitis vulneribus enarrat *Baglivius* (opp. T. I. pag. 347). Conquassato capite, praecipue in regione occipitis, etiam *Baglivius* (Med. septent. 814.) de doloribus capitis diuturnis querelam, *Bonet* (l. c.) sterilitatem ortam viderunt. Adsunt vero observationes duae, quae sympathiam cerebellum inter et systema genitalium haud dubium relinquunt. —

Fabricius Hildanus nempe, temporis sui experientissimus naturae indagator, haec enarrat (opp. omnia. T. I. C. VI. obs. 59): Vir valetudine intacta gavisus per annos, liberos habebat quatuor; Baculo verberatus ad occiput subito non solum surditate laborabat auris dextrae, sed hic veneris amator validissimus etiam per annos impotens erat. Lapso in dorsum libidines ortae sunt, vero nullo modo erectio penis. *Hildanus* hoc loco se credidisse e capite fluidum crassum, arteriam spermaticam obturans, emanasse, dicit, quod vero error anatomicus. Confer etiam: *Nicolaus* serm. 5. 6. C. VI. et *Avicenn.* fem. 20. 3. Tr. I. C. 13. — Observatio altera in *miscellaneis academiae Caesareae Leopoldinae naturae curiosorum* (opere temporibus nostris non satis dignato

et plurimis plane ignoto, thesauro adnotationum virorum doctissimorum) a Cel. *Paulo de Sorbalt*, sub titulo: „Ex vulnere capitis impotentia ad venerem" enarratur. (Tom. II. pag. 177.) Vir, valetudinis effigies, cui veneris voluptates minime ignotae, verbere in occiput inflictus, subito mania laborabat. Hac quidem sanata remanebat conditio tristissima aegrotanti, ex illo tempore non solum seminis ejaculatione atque erectione quacunque carenti, sed etiam omni voluptatis sensu cessato. — Cel. *Gall* (l. c. pag. 300 — 316) observationes plurimas enarrat. Cerebelli affectiones systematis genitalium aberrationes secutae sunt. Ictu cum ensi ad occiput sterilitas orta. (Memoires de Brantomé. Londres 1739. Tom. III. pag. 182.) Experientissimus *Formey* Berolini sanavit hominem, qui ex vulnere occipitis per sex menses impotentia laborabat. Auriga, Veneri et Baccho deditus, decidebat in occiput et sterilis ab hoc temporis spatio erat. Miles, qui prius quoad genitalia validissimus, ex ictu ad occiput atrophia genitalium laborabat. Cel. *Larrey* observationem enarrat militis, qui in acie juxta Wagram ictu cum ensi ad occiput correptus, non solum facultatem erectionis penis perdidit, sed etiam cupidinem omnem ad veneris illecebras. Maniacos saepissime etiam satyriasi laborare, res notissima. Interdum etiam cadaverum sectiones variationes struc-

turae cerebelli ostenderunt. Observatio nobis est, quam huc enarremus. Pharmacopola, homo constitutionis phthisicae, temperamenti phlegmatici, usque ad aetatis annum trigesimum valetudine intacta gavisus est. Cum aliis in rebus phlegma praevaleret, uxor ejus jam tunc conquerebatur de illo, coitus exercitationem nimis cupiente, interdum vero cum furore; qua ex causa etiam connubium nunc per annos sine liberis fuisse credebat, cum matrimonii anno primo filiam pepererit. Tali modo valetudo hujus hominis usque ad annum trigesimum tertium aetatis se habebat. Tunc libidinibus ad venerem auctis, ancillis oneri erat. Annum trigesimum sextum agens, mania laborabat satyriasi maxima juncta, et mulieres, quae adpropinquabant illum, omnes violabat. Cum jam sanationem ejus medici sperabant, subito morte correptus. Sectio cadaveris organa abdominis et thoracis omnia sana, cerebrum ipsum validum, in cerebello vero ossificationem magnam ostendit. Hanc ossificationem morbi causam fuisse, omnibus patebat. Observationibus virorum doctissimorum, tempore nocturno pollutionibus praecipue laborant homines, si in dorso jacent. Cubitu hoc cerebelli regio multo magis calefacta quam in cubitu laterali, et hac ex causa systematis genitalium excitatio, quae non solum viris adest, sed etiam foeminis cubitu eodem,

licet non pollutionibus, sed cupidine propagandi stimulo se manifestet. Cel. *Gall* viduam vidit, quae post conjugis mortem melancholia et convulsionibus vehementibus laborabat, postquam in nucha tensionis calorisque nimis ingrati sensum habuerat. Convulsionum paroxysmus evacuatione quadem sub motionibus voluptuosis solutus est, atque *Gallius*, in tali paroxysmo palmam manus nuchae hujus viduae imponens, calorem mordacem non minus ac magnam protuberantiam in hac regione detegit. Affluxus sanguinis ad cerebellum tali modo causam fuisse credimus.

Plurimae observationes adsunt, quibus ex affectionibus systematis genitalium etiam caput morbo laborasse patet; qua ex causa solummodo generatim hac de re loquamur. Ex inflammatione uteri capitis dolores, jam *Hippocrates* animadvertit, (de morb. mulierum lib. II.), etiam *Galenus* (Epid. Sect. I. aph. 1). Tunc *Sennert* (med. pract. lib. I. pag. 3.), *Mercurialis* (de morbis mulierum in *Spaehi* gynaec. pag. 291.), *Lang* (apud *Sennert*), *Joubert* (opp. p. I. pag. 71.), et *Ballonius* (de utero post partum inclamato). Ex uteri scirrho *Sydenham*, *Kiesling* (Epid. m. o. Dec. III. No. 9.), *Schuckler* (Haller. diss. pract. L. C.), *Rahn* (de miro inter caput et visc. abd. commercio); prae aliis vero *Morgagni* in opere de sedibus et causis morborum (Ep. 39. pag. 10.) —

Menstruorum fluxum intime cum capitis doloribus junctum esse, vel cuique patet, et ex amenorrhoea congestiones praecipue ad ventrem supremum, minus ad organa medii vel infimi ventris oriri, omnibus res notissima. *Paulini* observationem enarrat (*Bonnet* Polyalt. T. III. pag. 3.) in foemina, quae semper per aliquot dies ante menstruorum fluxum, capitis doloribus praecipue in regione occipitis cum vertigine laborabat. His doloribus liberata est exanthemate in occipite erumpente, ex quo serum acre effluebat. *Van Swieten* (comment. T. III. pag. 318.), *Bonnet* (l. c.) et *Stahl* (Hall. Collect. diss. pract. T. IV.) plures ejusmodi observationes fecerunt. Vitia organica capitis per coitum augeri, jam veteribus notum erat, sed etiam morbi capitis diversissimi hac ex causa oriuntur. Ex coitu nimis exercito cephalaeam et praecipue dolores in occipitis regione oriri, *Galenus* (l. c.), *Hoffmann* (de noxis ex nimia venere, opp. supl. pag. 497), *Schurig* (Spermat. pag. 274.), *Sauvages* (hist. med. observ. 1508) aliique de medicina scriptores doctissimi docent. *Bartholini* (obs. 6. hist.) historiam enarrat juvenis, qui ex coitu nimis exercito non solum doloribus capitis, sed insomnia, siti et mania laborabat. Contra etiam e coitu diminuto vel plane oppresso dolores oriuntur capitis, et observationibus exactissimis praecipue regionis occipitalis, qui vero etiam solum-

modo per coitum sanantur. Vertiginem ex coitu oppresso jam *Galenus* novit (de locis affectis); convulsiones et dolores in occipite lethales *Lusitanus* (*Schurig* spermat. pag. 276.) vidit. In satyriasi aut seminis ejaculatione nimia homines etiam morbo cerebelli laborare, credimus. Paene semper hisce in morbis aegrotantes etiam de capitis et praecipue regionis occipitis doloribus conqueruntur. *Tissot* (sur les maladies produites par la masturbation. Paris 1802) enarrat historiam ex observatione Doctoris *Tulpii*, Amstelodamensis. Homo laborabat fluxu acri ex urethra (ab onania pendente) simulque doloribus maximis occipitis, et mox etiam ex occipite hic effluxus cursum habebat. Cel. *Serres* in sectionibus eorum, qui ex apoplexia aut inflammatione cerebelli chronica defuncti erant, ac in vita ejaculatione seminis nimia involuntariaque laborabant, deformationes cerebelli exquisitas vidit ac descripsit. Est observatio a Cel. *Heusinger* facta, qua aves tempore verno subito morte correptas vidit et mere ex apoplexia mortuas dicit. Aves praeprimis verno tempore morte subitanea improvisaque eripiuntur, quae annis antecedentibus ad foeminas semper admissi, nunc vero in caveis solae viventes, istis satisfacere non possunt. Hac ex adnotatione mortem coitu oppresso originem duxisse patet, et sectione cadaverum fringillarum domesticarum, quae subito

morte tempore verno correptae erant, cerebelli superficies externa sanguine exsudato obtecta erat, vasaque, quae in cerebelli superficie ejusque substantia obveniebant, ita praepollebant sanguine, ut cerebellum quasi injectum visum sit; alia vero corporis organa sanissima erant.

Parotitide, intumescentia symptomatica testiculorum, revulsis metastasin ad cerebellum non raro obvenire res notissima, quam solummodo nominare volui.

Saepius etiam in systematis genitalium morbis remediorum applicatio ad occipitis regionem maximi momenti. Inunctiones phosphori, tincturae cantharidum, camphorae etc. ad occipitis regionem, contra impotentiam jam a veteribus institutas legimus. Cel. *Ferrand* affirmat etiam utilitatem applicationis hirudinum ad occiput in systematis genitalium morbosa excitatione. De tincturae cantharidum viribus experimenta in animalibus instituentes, etiam excitationem cupidinis propagandi maximam vidimus, post mortem penem erectum, cerebelli vasa tumescentia, cerebellum ipsum vero sanguine repletum.

III.

CONCLUSIONES.

Observationibus hisce enumeratis rem ipsam, nempe consensum systema genitalium inter et cerebellum, claram esse credimus. Sympathiam hanc a Cel. *Gallio* dispositam veram esse, multi negarunt Physiologi, praeprimis quia cerebelli cum systemate sexuali nexum solum a conjunctione nervorum singularium dependere, hancce conjunctionem vero non ostendi posse, crediderunt. Hanc nervorum conjunctionem adesse per medullam spinalem patet; sed licet haec non sufficiat, etiam semper necesse non est, ad sympathiam nervorum conjunctio adsit. In malo ischiatico Cel. *Cotunni* auriculam ferro candenti adtingendam esse in curando hoc morbo docet, et eventus hujus methodi omnibus sat notus. Attamen vero etiam inter has partes nemo nervorum conjunctionem demonstrare potest. Quod ad *Gallii* theoriam, cerebellum nempe orga-

non esse sexus, consentire possumus, atque evolutioni majori cerebelli etiam genitalia magis evoluta et vice versa. Quod vero ad alteram hujus theoriae partem, ad cognitionem nempe hujus evolutionis ex externis capitis partibus pertinet, hoc loco inquirendum non est. Majorem evolutionem cerebelli *Gallius* in massae exaggeratione quaerit, et hoc negatur a scriptoribus praecipuis aetatis nostrae de physiologia. Dicunt nempe, si cerebrum et cerebellum sedes sit, et functionum mentis, et facultatum diversarum, et animi perturbationum; cerebrum totum sedem esse, nec partem ad hanc, partem ad alteram facultatem pertinere posse. Opposuerunt haec de physiologia scriptores diversi, sed etiam Illustr. *Rudolphi* (Grundriß der Physiologie, Th. II. Bd. 1. Seite 18.) cum de Illustr. *Reilii* meritis in cerebri anatomiam loquitur, praecipue de fibris diversis in cerebro ab illo repertis, credit, fibras quasdam omnibus in sectionibus reperiri, alias vero in singulis, et hinc inde pendere etiam singulas facultates. Si autem a fibris magis evolutis pendere potest facultatum diversitas, cerebrum etiam non est totum, sed partes ejus singulae singulas administrant facultates, et tunc etiam evolutionis signum tam in magnitudine partium, quam in fibris earum constare potest; et sic theoria *Gallii* experientia magis fulciatur, quam quod de evolutione majori

fibrarum dicitur. Pugnarunt contra sympathiam cerebelli cum systemate sexuali alii quoque ex eo praecipue, quod evolutionem majorem, i. e. magnitudinem majorem illius in animalibus inferiorem scalae evolutionis sedem obtinentibus adesse negant, cum haec animalia tamen, quoad sexum, praecellant. Sed cum opinio nostra non sit, evolutionem in magnitudine partis quaerendam esse, non est cur de hac sententia certemus. Dicunt etiam, coitus exercitatione nimis aucta non cerebellum, sed medullam spinalem adtingi; sed onanitici, aliique homines coitum nimis exercentes, non medullae spinalis doloribus laborant, sed cerebelli, et tabes medullae ipsius jam effectus morbi est, morbus tamen ipse in cerebello sedem habet. Nunquam libidines e morbis medullae observatae sunt, sed fere semper lascivia maxima in morbis cerebelli observari potest; etiamque contra nunquam sterilitas causam habebat in medulla morbo laborante, saepius vero in cerebello affecto.

Ex his non solum sympathiam cerebellum inter et systema sexuale adesse, sed etiam cerebellum organon sexus esse, credimus.

CURRICULUM VITAE

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS

ADJECTUM.

Ego *Joannes Petrus Hubertus Reimbold* natus die XXX. mensis Martii, anno MDCCCIV, Coloniae agrippinae, patrem carissimum *Casp. Reimbold*, matremque dilectissimam e gente *Boos* veneror, quibus ob educationem meam gratias ago maximas quas possum. Gymnasium primo frequentavi Coloniense, tunc lectionibus privatis eruditionem atque linguarum veterum cognitionem accepi. Anno MDCCCXXII universitatem borussico-rhenanam adii, ibique die XI. mensis Decembris Rectore magnifico Cel. a *Munchow* civibus academicis, et a Cel. *Mayer*, tunc temporis Decano, facultati medicae legitime adscriptus sum. Alma hac in universitate lectiones audivi sequentes. Logicen cum introductione in philosophiae studium apud Cel. a *Calcker*; Mathesin

apud Cel. *Diesterweeg*. Tacitus germaniam Cel. *Welker*, Carmen „Nibelungen" Illustr. a *Schlegel*, Historiam germaniae recentiorem Cel. *Hüllmann* mihi explicavit. Physicen apud Cel. a *Munchow*, Chemicen apud Cel. *G. Bischoff*, Zoologiam apud Cel. *Goldfufs*, atque Botanicen apud Cel. *Nees* ab *Esenbeek* audivi. Osteologiam me docuit Cel. *Weber*, anatomiam generalem, specialem, nec non chirurgicam Cel. *Mayer*, cujus etiam lectionibus de Physiologia interfui. Artem secandi Cel. *Mayer* et Cel. *Weber* me docuerunt. Lectiones de Anthropologia ac Therapia Cel. *Nasse* frequentavi. Illustr. *Harlefs* de inflammatione disserentem audivi, atque ejus lectionibus de materia medica interfui. Chirurgiam, aciurgiam, doctrinam de fasciis et deligationibus chirurgicis adhibendis audivi apud Illustr. a *Walther* atque clinico ejus chirurgico et ophthalmiatrico interfui. Apud Cel. *Windischmann* historiam medicinae audivi. Tunc Berolinum petii, ibique Rectore magnifico Illustr. *Rudolphi* et Decano Illustr. *Link* die XXIII. mensis Octobris anni MDCCCXXIV facultatis medicae civibus adscriptus sum, atque lectiones audivi sequentes. Apud Illusr. *Rudolphi* anatomiam specialem, nec non anatomiam organorum sensuum et foetus humani audivi. Artem secandi Illustr. *Rudolphi* et Illustr. *Knape* me docuerunt. Apud Illustr. *Link* Pharmacologiam, apud Illustr. *Behrens* Explicationem aphorismorum Hippocraticis, apud Illustr. *Horn*. Therapiam specialem, nec

non Pathologiam et therapiam morborum syphiliticorum; apud Illustr. *Kluge* doctrinam de ossibus fractis et luxatis, atque artem obstetriciam, apud Illustr. *Rust* Chirurgiam et doctrinam morborum syphiliticorum, apud Cel. *Juengken* aciurgiam et de cognoscendis et curandis humani oculi morbis doctrinam, apud Perill. *Hufeland* Semioticen audivi, ejusque et virorum Cel. *Osann* et Cel. *Busse* scholam clinicam frequentavi.

Quibus omnibus viris Illustrissimis gratias ago maximas, quas possum. Tentamine et Examine rigoroso rite absolutis spero, fore, ut, dissertatione thesibusque defensis, summi in utraque medicina honores mihi impertiantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

De crisi solummodo in febribus loqui potest.

II.

Naevi materni ex imaginatione matris oriuntur.

III.

Hydrargyrum remedium specificum est contra omnes syphilidis formas.

IV.

Ad Rabiem caninam sanandam venaesectio ad Syncopen usque instituendà est.